

2057

LITURGIC I.

2058

frant, Librum in ipsius tunc collegiatae ad D. Stephanum Ecclesiae usu fuisse. Ad calcem Salomo-

nis Regis magnificentia 15. versibus celebratur, qui exeunt:

*Uxores salomon septingentas habuisti,
Sed concubinas trecentas supposuisti.
Heu nimis a sola nunc vexamur muliere!*

In praemisso Ordine theophorico Opificum Sodalitia, quae praecedunt, *Czechae* vocantur, inter Religiosos comparent *de sancto Spiritu*, *Textunici*, *Johannite*, comparet item *Camisia sancti Georij*, quam an *Αερψαρον* aliquod Divi, an linteatum Capellae hujus, olim Aulæ *Frisinganae*, nunc abolitae Clerum interpreter, haereo.

DCCCXXXIV.

U. 9 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 150. f. magnifice scriptus et rubricis speciosus *Evangeliarium* est ita comparatum: *Incipiunt Capitula De Circulo Anni*. Index videlicet Evangeliorum hoc initio: *In Vig. Natal. Domini Secundum Mattheum*. Cum esset desponsata usque a peccatis eorum. *Ad Sanctam Mariam Maiorem De Noë. Secundum Lucam*. *Exiit edictum a cesare augusto. usque bonę uoluntatis*. Ita primo decurritur Calendarium ecclesiasticum Festorum de Tempore et Sanctorum adscriptis ubique *Stationibus*. *Sebastianus* et *Fabianus* diversa habent Evangelia. *Vincentius* item duo diversa. Dominicae post *Epiphaniam* numerantur X. in *Quadragesima* VI. nulla *Palmarum* facta mentione. Dominica in *Albis* appellatur *Octaua Paschę*, et *Pascha*

annotina post illam adsignatur. Dominica I. post *Pentecosten* absque mentione Trinitatis. A Festo *Petri et Pauli* numerantur Dominicae VI. post *Natalem apostolorum*, a Festo *Laurentii* VII. post *Natalem Sancti laurentii*. Die XV. Aug. habetur *depositio Sanctę Marię*. A Festo *S. Michaelis* ad *Aduentum* rursus numerantur Dominicae VII; post *S. Angeli & Aduentus* dominicae descendunt a V. ad I. ante *Natiuitatem Domini*. Dein sequuntur Evangelia in publicis Necessitatibus, in variis Ordinationibus. Distinctum Evangelium est *pro uelatione ancillarum dei* et *ad uelandam Maritatum*. Succedit *Commune Sanctorum*, et Evangelia: *In Agenda Mortuorum*. *In Aduentu Iudicum*. *In conuentu episcoporum*. *Contra Iudices male agentes*. *Contra episcopos male agentes*. *Pro iter agentibus*, et *Ad missam Uotiuam*. Totus hic Index per duas columnas rubro nigroque eleganter variat et evangelicorum *Capitum* citationes exhibet in Margine.

II. fol. 12. illum excipiunt non minus speciose descripti, picturaeque X. *Canones* illi harmonici Evangelistarum *Eusebii Caesar*.

III. fol. 20. Ineunt *Evangelia*, et primo quidem *Matthaeus*. Prae-

mittitur Prologus IIII^o. Evangeliorum. Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt &c. et Epistola Sancti Jeronimi ad Beatum papam Damasum. Novum Opus me facere cogis &c. Item Argumentum Secundum Matheum. Matheus ex iudea sicut in ordine primus ponitur &c. quae omnia in Bibliis glossatis habentur. Succedit Index Capitum XXVI. fatis disertus, demum ipsum Evangelium locis harmonicis aliorum Evangelistarum diligenter in margine adnotatis. Atque eadem horum est ratio; Marcus enim Prologum: Marcus Evangelista Dei et Petri in Baptismate filius &c. et Indicem Capp. XIII. Lucas Prologum: Lucas Syrus Antiochensis &c. et Indicem valde disertum Capp. XXI. Johannes Prologum: Hic est Johannes Evangelista vnus ex discipulis &c. et Indicem Capp. XIV. praefert. Exordium Lucae usque ad verba: Fuit in diebus Herodis &c. non est accensitum Capiti I. sed continuo post Indicem scriptum, et in Cap. Job. ultimo post verba: quae fecit ihesus, adjecit miniculator: Finit, verbis: Sunt autem et alia multa &c. deinceps instar Epilogi subjunctis.

Addam etiam in curiosorum gratiam, quod ad calcem praeclari hujus Codicis a manu ejusdem Seculi reperi titulo: Ad conficiendum Incaustum. De Galla accipe 1. libram. De Fytreolo fertonem unum. De Gummi 1. fertonem. De Vino libram vnam et dimidiam. Horum quodlibet in mortario specialiter contundas. et in vino positum per

aliquantulam horam moueas. et sic de quolibet fatias. sed primo galam imponas. secundo fytreolum. tertio Gummi. et hoc in vase ereo uel eneo. Galla significatu theotico supra posito vocatur Aichaphel, Vitriolum Chopherrouch, Gummi Flidem, quod postremum mihi ignotum. Ferto (Fartbing, Viertel, Viertel) quarta pars librae hic esse videtur; Incaustum vero non Eynaouov Graecorum, sed Atramentum scriptorium puta.

Codicem olim a se emtum Job. Faber egregius ille Vindobon. Antistes a. 1540. Paedagogio suo ad D. Nicolaum legaverat.

DCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 21 XII. Folior. 176. f. luculente, nitideque exaratus et rubricis distinctus hoc Titulo est: Incipiunt Lectiones cum euangelis per circulum anni. Initium a Vigilia Nativitatis. Lectiones seu Propheticae sive Apostolicae, uti et Evangelia exhibentur integre, prout in Missa recitantur. Officia de Tempore pertingunt usque ad fol. 129. p. 2. atque ibi: Incipit Breuiarium per totum annum de Sanctis, et quidem a S. Columba Virg. 31. Decembr. recteque Breuiarium; passim enim non nisi initia Lectionum indicantur. SS. Waltpurga, Udalricus, Kylianus, Arbogastus, Afra, Verena, Magnus, Emeramus, Pirminius, Othmarus Dioecesis Argentinensem, aut Augustanam innuere videntur. Fol. 157. incipiunt Lectiones de Communi SS.